



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1702

Quæstio XI. In Titulum XI. De cognatione spirituali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](#)

titudinem. Nam liberi post hoc ei nati reducuntur in servitatem, adeoque sequuntur conditionem Patris, licet nati sint ex matre libera, *l. 2. c. de libertis, & eorum liberis.* Tertius casus est, juxta Sanchez. *cit. n. 14.* quo mater libera, & gerens uterum, justo bello capta, & in servitatem redacta parit. Nam eo quoque casu non ex vi natalium proles fit serva; sed, quod eā occasione justi belli, beneficium à capientibus acceperit, ne unā eum matre interimeretur.

1086. Quoad honores autem, & nobilitatem

filius sequitur conditionem patris. *L. cum legitime ff. de statu hominum.* Id extendi etiam ad filium naturalem, sicutem quando uterque parens nobilis est, tenent alii qui apud Sanchez. *cit. n. 1.* quamvis de jure communi aliud sit; sed in his hodie plurimum pendet a particularibus statutis, & legibus; præsertim in materia beneficiorum, & Canonicatum, ubi requiriatur descendencia ab utroque, vi sanguinis, non connubiorum; & nobilitas, per totas & tot parentelas; quæ materia non est hujus fori.

QUÆSTIO XI.

In Titulum XI. De cognatione spirituali.

1087. **C**ognatio triplex est, spiritualis, legalis, & carnalis; quælibet eartum ve-
nit inter impedimenta matrimonii
dirimenti sub hoc termino *Cognatio.*
De Legali dicemus tit. 12. de Carnali. tit.
14. de Spirituali, quæstione præsenti. *Co-*
gnatio spiritualis, est propinquitas certarum personarum, Ecclesiæ institutione proveniens ex collatione, vel susceptione baptismi, & confirmationis. Multò am-
plior, & ad plures personas extensa erat
jure veteri; nunc tamen, & jure novo, nō
propter multitudinem prohibitionū mul-
totes contingat in gradibus prohibitis
matrimonia contrahi, à Trid. *scf. 24.* de
Reform. Matr. c. 2. restrictum est ad pau-
ciores, ut dicemus in seqq.

ARTICULUS I.

*An & quo jure cognatio Spiritualis
matrimonium dirimat.*

1088. Quod cognatio spiritualis dirimat ma-
trimoniū contrahendum, vel eā stante
contraictū, non jure naturali, aut divino,
seu ex ipsa institutione sacramenti, sed so-
lum Ecclesiæ dispositione ob reverentiam,
quæ debetur baptizanti, confirmanti, ac
Patrinis, qui eorum Patres spirituales di-
cuntur, habetur ex Concilio Nicæno,
can. 20. & tum ab aliis sub hoc Pontifici-
bus, tum concilii confirmatum, ut con-
stat ex tota *cans. 30. q. 1.* & toto hoc titulo
in decretal. ac novissimè ex Trid. *supracit.*
Ex aliis porrò Sacerdotiis (praterquam
baptismo, & confirmatione) haec cognatio,
cui Ecclesiæ dispositione annexa sit

vis impediendi, vel dirimendi matrimo-
nia, non oritur, ut dicitur in *c. fin. Q. fin.*
b. t. in 6. ibi: Ex datione vero aliorum sa-
cramentorum cognatio spiritualis nequa-
quam oritur, que matrimonium impedit,
vel dissolvat. Nam uit at gl. *ibid. V. sa-*
cramentorum; in baptismō renascimur;
& Chrismatio illam confirmat; quod non
est in aliis sacramentis.

Nec obstat quod in *c. omnes. 33. q. 1.*
dicatur, *omnes, quos in penitentia susci-*
piimus, ita nostri sunt spirituales filii, ut &
ipsi, quos vel nobis suscipiuntibus, vel tri-
ne mersionis vocabulo mergentibus, unde
sacri baptismatis regeneravit. Sylvester
quoque docens admonet utrumque
Sacerdotem, ut nullus causa fornicatio-
nis ad suam penitentialem accedat: quia
scriptum est (omnes, quos in penitentia
accipimus, ita filii nostri sunt, ut in ba-
ptismate suscepimus) quapropter hoc *scelus*,
si quis perpetraverit, non solùm dignita-
tis honorem amittat, verum etiam usque
ad exitum vita suæ jugi penitentie le-
subdat: & *c. sequentibz ibi: Si quis Sacerdos*
eum filia spirituali fornicatus fuerit, scit
se grave adulterium commisse. Idcirco
femina si laica est, omnia derelinquit,
& res sias pauperibus tradat, & conver-
ti in monasterio Deo usque ad mortem ser-
viat: Sacerdos autem, qui malum exem-
plum dedit hominibus, ab omni officio
deponatur, & peregrinando duodecim an-
nis peniteat: postea vero ad monasterium
vadat, ibique cunctis diebus vita sua
Deo serviat.

Ex

Ex quo videtur deduci, hoc impedimentum nasci etiam ex sacramento pœnitentiae, cum etiam confessarij dicantur spirituales patres suorum pœnitentium, & hi spirituales filii corum; quia tamen per effectum hujus sacramenti, seu gratiam, vi eius collata, non renascimur, nec in hoc confirmamur, sed tantum reconciliamur, propinquitatem ex hoc sacramento nascientem non est vis eadem, ac illi, quæ ex baptismō, & confirmatione provenit, ab Ecclesia constituta, ut constat ex cit. c. fin. b. t. in 6. Et ideo comparatio, quæ sit inter filios spirituales ex sacramento pœnitentiae, & illos, qui tales sunt ex baptismō, & confirmatione, non sit, quod omnes juris effectus filiationis legalis, sed tantum quoad ipsam filiationem.

ARTICULUS II.

Ad quas personas se extendet Cognitio spiritualis?

Seu quod idem est, inter quas personas annexa sit perpetuò hæc cognitio, seu spiritualis propinquitas, cui jure positivo Ecclesia detur vis dirimendi matrimonium, consequenter durans, etiam extinta persona; quæ mediante contracta est, ut notat Sanchez l. 7. hic d. 54. n. 8. apud Vincent. de Just. l. 7. dispens. matr. c. 5. n. 4. & in hac quæstione aliud dicendum spectato jure antiquo; aliud jure novo, ut ex mox dicendis patet. Cognitio spiritualis jure veteri, triplicem speciem continebat paternitatem, compaternitatem, & fraternitatem. *Paternitas* dabatur 1. inter baptizantem, & baptizatum, inter confirmantem, & confirmatum. 2. inter patrinos baptizati, vel confirmati, & inter baptizatum & confirmatum. c. de eo. 30: q. 1. c. 1. de cognat. spir. in 6: ubi Bonifacius VIII. de cognitione spirituali ex baptismō, ut habetur c. nedum 1. b. t. in 6: sic statut: Nedum inter baptizatum, & illum qui cum suscepit de baptismō, ac inter eundem baptizatum, & suscipientis filios & uxorem ante susceptionem carnaliter cognitam ab eodem: imo etiam inter suscipientem, patremque baptizati, & matrem, cognitionem spiritualem in baptismo contrahi jure constat; que cognitio, & contrahendum matrimonium impedit, & dirimit post contractum. Et eadem, que de suscipiente sunt dicta, sunt de bapt. Tom. IV.

prizante censenda. & eadem ex confirmatione quoque, seu frontis chrisma, spiritualis cognitio eisdem modis contrahitur: matrimonia similiter impediens contrahenda, & dirimens post contracta.

Compaternitas vero dabatur inter parentes baptizati, vel confirmati, & ipsum baptizantem, & confirmantem, & Patrinos baptismi, & confirmationis: Et haec duplex cognitio transfundebatur à viro in uxorem. c. Pervenit. 30. q. 1: ibi: nullus Christianus suam commarrem in coniugium suscipere debet. c. si quis. 30. q. 4: ubi Innocentius Exuperio Toletano prescribens ait: si quis ex uno coniugio filium aut filiam alterius de sacro fonte suscepit, aut ad christiana tenuerit, vel Christianitatis ministerium dederit, ambo, & vir & uxor compares existunt parentibus infantis: quia vir & mulier caro una effecti sunt. c. Veniens. 6. de cognitione spir. ibi: mandamus, quatehus, si constiterit mulierem prædicti viri filium de sacro fonte levassit antè, quam eam desponsasset uxorem, vos inter eos divorrium app. postposita celebretis. *Fraternitas* demum erat inter filios carnales baptizantis, vel confirmantis, vel Patrionorum, & ipsum baptizatum, vel confirmatum. c. Piñacium. c. non oportet. 30. q. 3. c. Tuā nos. de cognitione spir. Nam cum ab innocentio III. quereretur, an natus ante compaternitatem filiam compatrii sui, vel commatris, sibi possit matrimonialiter copulare, & si contraxit, an debeant separari, & an consci matrimonij teneantur illud in publico separare? Pontifex respondit, quod huiusmodi persone non possunt matrimonium contrahere: & si contrixerint, possunt ab invicem separari: & qui contractum sciverint, debent Ecclesiæ illud nuntiare. Hæc de jure antiquo.

Jure autem novo Tridentini sess. 24. 1092, de Reform. matr. c. 2. cognitio spiritualis partim ablata, partim restrieta est. Nam omnino oblata est Fraternitas; restrieta autem *Paternitas*, & *compaternitas* in hoc 1. ne à viro transfundatur in uxorem. 2. ne compaternitas contrahatur inter baptizantem vel confirmantem, & Patrinos. Verba Tridentini loco citato sunt;

Oo

sunt;

sunt: *Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia: in quibus, vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur.* Volens itaque sancta Synodus huic incommode providere, & à cognationis spiritualis impedimento incipiens, statuit, ut unus tantum, sive vir, sive mulier, juxta sacramentorum instituta, vel ad summum unus, & una baptizatum de baptismo suscipiant, inter quos, ac baptizatum ipsum, & illius patrem, & matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantum, spiritualis cognatio contrahatur; & subiungit: *ea quoque cognatio, que ex confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiusque patrem, & matrem, at tenentem non egrediatur: omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublati.*

1093. Ex hoc decreto colliges, iure novo liberè, & licetè contrahi posse matrimonium inter personas in hoc decreto nominatim non expressas; sic Barbol. in *cit. locam Trid. n. 18.* constat etiam ex verbis ultimis decreti ibi: *non egrediatur;* & Constitutione Pij V. incipiente: *Cum illius vicem. 1566.* Unde sequitur. 1. inter baptizatum, & carnales liberos Patrini; 2. inter baptizatum, & uxorem Patrini, postquam viuda fuerit, liberè, ac licetè matrimonium contrahi posse, si non ipsa, sed tantum vir eius patrinum egit. Nam haec personæ in eo decreto Tridentini nominatim expressæ non sunt; sequitur. 3. Uxorem, ex eo, quod vir eius Patrinum egerit alicuius in eius baptismo, vel confirmatione, nec cum baptizato vel confirmato, nec cum carnales ejus parentibus contrahere nunc cognationem spiritualem. Nam haec personæ non sunt in hoc decreto nominatim expressæ; & cognitionis transfusio à viro in uxorem hodie sublata est per *cit. Trid.* sic Toletus in *instruct. sacerd. b. 7. c. 4. n. 5.* sequitur 4. Titum parentem baptizati, mortuam uxore, quantum est vi hujus impedimenti, validè ac licetè contrahere posse matrimonium cum Berta vidua, cuius maritus, dum viveret, filium, vel filiam Titi suscepit ex baptismo, vel confirmatione; quia per hoc Berta cum Tito non contra-

xit ullam cognitionem spiritualem ex n. 1092.

Sequitur 5. Titum, & Cajam (qui simul alienum filium, vel filiam ex baptismo, vel confirmatione suscepit) validè ac licetè, posse contrahere matrimonium, folto per mortem conjugis corrum matrimonio; quia Patrini inter fe, iure novo, non contrahunt cognitionem spiritualem; hæc enim compaterint inter Patrinos per Trid. sublata est; cum haec personæ non nominatim exprimunt in ejus decreto; sic Reginald. l. 31. n. 150. cum communi. Sequitur 6. hanc cognitionem contrahi à baptizante, vel confirmante, aut Patrini cum parentibus baptizati vel confirmati carnibus, seu naturalibus, licet eum suscepint extra conjugium; Colligitur ex illis verbis: *baptizatique patrem & matrem,* quod propriè non verificatur in patre solum *adoptivo*, ut notat de Jultis cit. n. 23. sed tantum naturali, licet fornicario.

Quæstio ulterior est 1. an cognitionem spiritualem cum parentibus contrahat baptizans, vel levans ex baptismo filium hereticus? 2. Pagani, aut Judæi: ad 1. r. affirmativè, cum communi. Nam heretici sunt capaces hujus cognitionis, utpote baptizati, & subsunt legibus Ecclesiæ. Ad 2. r. negativè; nam cognatio est reciprocæ, ergo si eam non contrahat infidelis cum baptizante, vel levante; nec eam contrahit minister vel Patrinus fidelis baptizans, aut levans ex baptismo filium infidelis; ut infideles eam non contrahunt; cognatio enim spiritualis supponit natum spiritualiter per baptismum, sicut cognatio naturalis, natum naturaliter; infidelis autem non est natus spiritualiter. Nec obstat, quod mulieres Christianæ contraxerint impedimentum criminis cum infidelibus, qui earum suauit, viros ipsarum occiderunt, ut suscepit baptismo cum eis matrimonium contraherent, ut dicitur *c. 1. de convers. Infideli.* Nam poena non est necessariò reciprocæ; inhabilitas porrò illa poenalis est ex fine legis eam inducentis in odium defidiab Ecclesiæ subditis commissi, ut constat ex dictis.

Quæstio est 2. an Procurator, seu qui alterius nomine levat ex baptismo, sibi vel suo

suo principall contrahat cognitionem spirituali: complures apud Sanchez l. 7. hic d. 59. n. 2. & alij etiam apud Barbos: in cit. c. 2. Trid. Sess. 24. de Reform. matr. n. 26. affirmant, quod Procurator eam contrahat sibi; sed probabilius est contrahat sibi; quia talis propinquitas, quae nascitur ex his sacramentis, non imponit levanti; aut suscipienti utcunque solum physicè, sed moraliter, nimurum actioni ejus, cuius nomine fit; at Procurator in eo casu Physicè suscipiens baptizandum, non suo, sed Principali nomine agit, & respondet; ergo non ipsi, sed Principali ea propinquitas imponit.

Major ex aliis ejusmodi casibus, qui per alios jure fieri possunt, constat. Nam, qui nomine alieno contrahit cum Berta, non evadit Berte conjunx, sed is, cuius nomine contrahit; & qui alieno nomine fide jubet, non ipse, sed is, cuius nomine fidem interponit, fidejussor est: at Patri-nus est fidejussor apud Deum. c. Vos ante omnia 105. dist. 4. de consecrat. 2. quia: sic adūm tangendi, vel levandi baptiza-tum (ad hoc, ut quis evadat Patri-nus, con-sequerter spiritualiter ei cognatus) intel-ligendum esse, non modò suadet communis fidelium sensus, Ecclesiae permissione, cæ-terquin id inhibitūr; sed etiam decisum esse à S. Congregatione referunt complutes, ut notat Vincent. de Justis cit. l. 2. c. 5. an. 31.

Nec obstat, quod cognitio spiritualis in variis canonibus tribuat suscipienti, tenenti, tangenti baptizandum in bapti-smi collatione. Nam hoc intelligitur de suscipiente teneunte, ac tangente etiam moraliter, nimurum vel per se, vel per alium nomine suo, ut dictum est priori um. Procurator autem constitutus, ut baptizandum levet, non suo, sed alieno nomine tangit; qui autem loco Parochi baptizat, non Parochi, sed Christi nomine agit; unde non Parochus, sed minister baptismi cognitionem contrahit. Accedit quod etiam juxta P. Sanchez, cit. l. 7. d. 38. a. n. 1. ut quis titulo Patrini contra-hat cognitionem spirituali, in levante baptizatum requiratur intentio saltem tacita, exercendi munus Patrini; hoc est levandi nomine suo, & pro eo responde-di; id, quod etiam docet Bonacina de Ma-trim. q. 3. p. 5. q. 2. n. 15. qui autem ex-

Tom. IV^o

eret solum minus Procuratoris, exercet solum actionem Physicam tenendi nomi-ne alieno:

Quæstio est. 3. an cognitione spirituali 1098. contrahatur à Laico baptizante *privatum* in casu necessitatiss? R. affirmativè cum Sanchez l. 7. hic d. 57. n. 10. Layman l. 5. tr. 10. p. 4. c. 8. n. 5. q. 4. & aliis: quia jus hoc impedimentum statuit in baptizan-tem absolutè, quin distinguat, an *solenniter*, an *privatum*, an *vir*, an *mulier* ba-ptismum conferat; cuius ratio est, quia in quovis tali casu intervenit vera regene-ratio per baptismum, propter quam Ecclesie statuit, ut *baptizans* ejusmodi co-gnitionem contraheret, extra illum ca-sum specalem, quo Parens in casu necef-sitatis prolem suam legitimam baptizaret; ne propter hunc actum pium jure debiti exigendi cum privaret, ut habetur in c. ad limina. 30. q. 1. ubi Joannes Papa VIII. ad questionem, an *vir*, qui *filium suum* in extremo vita possum, needum bapti-smatis unda lotum, absentia scilicet sa-cerdotum, necessitate cogente baptizavit, & proprii manus retinendo suscepit, à sua conjugi effet separandus? respondit: fieri nullatenus debere, dicente scriptura: à Domino junctam esse viro uxorem, &c.

Quæstio est. 4. an cognitionem spiri-tuali 1099. contrahat Patri-nus in baptismo so-lum *privato*; & non *solenni*? R. i. affir-mativam teneri à Navarro in *Manual*. c. 22. n. 40. Coninch, Pontio, & aliis apud Barbos: cit. in c. 2. Trid. Sess. 24. n. 14. & satis probabilem censeri a P. Wiesner de *impedimentis conjug.* parte 2. a. 12. n. 13. negativam autem doceri à Vincentio de Justis l. 2. c. 5. n. 42. sed hujus nullam rationem assert; extende hoc etiam ad casum, quo Patri-nus in baptismo pri-vato habuisset animum, verè agendi Pa-trinum; quia haec intentio non facit illum actum esse cærimonialem.

In hac quæstione certum videtur, co-1100. gnitionem spirituali contrahi ab eo, qui præstat exercitum *formale* Ministri vel Patri-ni. Utrique enim adscribitur à Trid. cit. in n. 1092. Cum autem exercitum ministri aliud pertineat ad subsstantiā, aliud ad solam solennitatem sacramenti; & ab eo haec cognitione contrahatur propter actum sacramentalem in baptismo etiam non solennem, ex n. 1098. recte sequitur

Oo 2

etiam

etiam contrahi à ministro, seu baptizante
sine solennitate.

1101. Certum est 2. actionem *Patrini*, etiam
quà talis, non esse de substantia baptismi.
Confertur enim validè, sine omni Patri-
no, qualiter fieri potest non tantum in
gravi necessitate; sed etiam, cùm ex justa
causa quis rebaptizatur sub conditione.
Nam eo casu, subsistente conditione *si
non es baptizatus, ego te baptizo*, valet
baptismus, quin tali casu requiratur *Patrinus*, ut docet Quintanaduennas in *singularib. theor. moral. tract. I. singul. 18.*
n. 1. & ex praxi constat; & statuitur in
Rituali de baptis.

1102. Ex hoc autem infertur cognitione in
spiritualem probabilitù non contrahi à *Patrini* in baptismino non solenni. Nam *Patrinus* eam non contrahit, nisi formaliter
exercendo *munus Patrini*; in baptismino enim collato solum quoad substantiam
nullum munus habet; ergo solum in
baptismino, quoad solennitatem; hoc au-
tem exercere non potest, ubi baptismus
non confertur *solenniter*; ita Sanchez l.
7. hic d. 62. n. 14. Neque dicas: ergo
nec parentes baptizati in baptismino privato
contrahunt cognitionem spiritualem;
enim cum dist. illati: ergo nec paren-
tes baptizati in baptismino privato contra-
hant cognitionem spiritualem cùm *Patrini* C. cum baptizante N. illatum; hac
enim alligatur actioni ministri perti-
nentis ad substantiam talis sacramenti.

1103. Questio est 5. an *Patrini* contrahant
cognitionem spiritualem; quando solæ
ceremoniae supplentur in Ecclesia; prius
omissæ in baptismino privato? *negativè*;
ita Sanchez cit. Pyrrhus Corradus in *praxi*
dispens. Apostol. l. 8. c. 8. n. 6. & alii; con-
trarium sentiente García *de benefic.* p. 8. c.
6. à n. 46. Nam hoc impedimentum ex
baptismo non contrahitur, nisi in *collatione
baptismi*, sed dum solæ ceremonie, o-
missæ in baptismino privato, supplentur in
Ecclesia, non confertur baptismus; ergo.
Nec obstat, quod tunc fiat *solennitas ba-
ptismi*; hec enim fieri potest, cùm ba-
ptismus non confertur; aliud enim est *le-
ware in solarum solennitatum suppletione*
aliud in *solenni baptismi collatione*. Ex
hac igitur, non illa actione, *Patrini* cognationem
contrahunt; cùm solum illa, non
ista sit formaliter exercitium *Patrini*. Hu-

ius enim actio non pertinet ad substanciam, sed tantum ad solennitatem baptismi
collati.

Questio est 6. an in baptismino possint
esse plures *Patrini*? *negativè* juxta antiquorum
canonum statuta, *unum tantum esse de-
bere*, sive vir sit, sive femina. *c. Non
plures 101. diff. 4. de Confessat.* ibi: *Non
plures ad suscipiendum de baptismo in-
fantem accedant, quam unus, sive vir,
sive mulier: in confirmatione quoque id
ipsum fiat;* *c. quamvis 3. de cognat. spiri-
tuali. in 6. ibi: quamvis non plures quam
unus vir, vel una mulier accedere debent
ad suscipiendum de baptismo infantem,*
*juxta sacrorum Canonum instituta: si ta-
men plures accederint, spiritualis cogni-
tio inde contrahitur, matrimonio con-
trahenda impediens, & etiam post contra-
cta dissolvens.* De confirmatione induper,
quatum ad hoc, *idem iudicium est habi-
dum.* Ex datione verò aliorum sacramen-
torum; cognitione spiritualis tiequaquam or-
bitur, quæ matrimonium impediens vel
dissolvat. Quod etiam habetur in Trid.
*c. 2. ibi: ad suum duos, nimur
unum, & unam.* Si tamen plures acce-
derint; etiam ab illis cognitione spiritualis
contrahitur, juxta cit. *c. quamvis. 3. h.t.
in 6.* Parochi autem (vel qui baptismum
conferunt) antequam ad baptismum con-
ferendum accedant, ab iis, ad quos spe-
rat; excipiere, quem, vel quoselegerint,
ut baptizandum de sacro fonte suscipiant,
& cum, vel eos tantum ad illum suscipi-
endum admittere tenentur; si fecerit fiat, Pa-
rochii culpā, vel negligentiā, ordinarij ar-
bitrio puniendus est. sic Trid. lococit.

Admittere plures, quam jure permisso,
esse peccatum grave, docent Barbos. p. 2.
de offic. & potest. Episcopi allegat. 30. n. 44.
Gaspar Hurtad. *de Matr. d. 18. diff. 4. n.
2.* sed non esse grave, tenet Sanchez l. 7.
hic d. 57. n. 6. nec in hoc dispensare potest
Episcopus. Hic enim super Conciliari di-
spositione dispensare non valet; Zerola in
praxi Episcoporum. p. 1. *V. Baptismus 2. &
& alij, ne quidem, ut sint duo eisdem se-
xibus, levantes nomine suo, ut habetur in
declarationibus ad c. 2. CC. Trid. sess. 24. de
reform. matr. n. 4. ubi dicitur, quod u-
nius, qui sit viri, & alter, qui sit mulieris
procurator, baptizandum de sacro fonte
suscipere possit, non tamen *dno viri*, vel
due*

due mulieres nomine suo; nec vir nomine mulieris, aut mulier nomine viri.

1106. Quæstio est 7. an *in confirmatione* possint esse plures Patrini? R. non posse licet ex c. fin. h. t. in 6. relato paulò ante; ita Sanchez l. 7. hic d. 57. n. 9. nec obstat, quod ex decreto Tridentini in baptismo possit esse *unus*, & *una*. Nam ibi loquitur de *baptismo*, quæ dispositio, cum circa hoc punctum in baptismō sit correcția juris antiqui in cit. c. fin. extendi non debet ad casum non expreſsum juxta dicta n. 123. & 129. *Confirmatione* autem eo loco non exprimitur; ergo manet hic casus sub dispositione juris antiqui.

1107. Quæstio est 8. an suscepторes ex baptismo, vel confirmatione debeant esse baptizati, vel confirmati? affirmativa respondio est ex c. *in baptismate*, dīſt. 4. de *confirmat.* ibi: *in baptismate*, vel *Christmate* non potest alium suscipere in filium, qui non est baptizatus, vel confirmatus. An autem, si nihilominus suscipiant, contrahant cognitionem spiritualem? quæstio est: & de baptismo constat ex n. 1095. quod non; de confirmatione autem idem affirmat Sanchez l. 7. d. 60. n. 7. Pontius de *impediment. matr.* c. 24. q. 1. & alii.

1108. Not. autem 1. præter hos à munere Patrini etiam repelli excommunicatos, interdictos, facinorosos, & ciminoſos. sic Layman Theol. moral. l. 5. tri 2. c. 9. n. 2. Deinde mutos; c. *Pueruli* dīſt. 4. de *Conſec.* 3. Abbates, Monachos, & Religiosos clauſtrales in baptismo. c. non licet *Abbat.* dīſt. 4. de *Confir.* & c. *Monachi* eodem: excipe, niſi evicti ſint ad dignitatē Epipoleam; Sanchez tom. 2. in *decal.* l. 6. c. 6. n. 44. Ceterū Patrini munus age-re potest quilibet fidelis, rationis compos, nec ſpecialiter prohibitus, cujuscunque etatis, licet minoris baptizando; ut cum communī docet Barboſ. in cit. c. 2. *Trid. ſeff.* 24. à n. 13. Nam in contrarium jure nihil deſinitum eſt.

1109. Not. 2. cum parentes baptizandi adducunt plures, qui cum levent ex baptismo, Parochus non debere illos admittere; sed debere designare unum ex ijs, vel ad ſumnum *unum*, & *unam* qui ſoli hanc cognitionem contrahent. Nam Trident. cit. c. 2. dicit: neminem, præter designatum, hanc cognitionem contrahere. Si au-

tem Parochus non ſeligeret, ſed omnes ad-mitteret, omnes probabiliſter contraherent hanc cognitionem, ſi omnes baptizandum levarent, ſeu tangereſt. quia licet Concilium prohibeat plurium admissionem, ta-amen non irritat contrà factum; ergo cum cognitione spiritualis in Patrino naſcatur ex actu formaliter levandi ſeu tenendi bapti-zandum, omnes tenentes eum in hoc caſu incurrent; ita Zoëſius h. t. n. 7. Er conſtat ex declarationibus ad cit. c. 2. *Trident.* n. 7.

Not. 3. Pâtreim, qui baptizat filium le-

gitum in *necessitate*, non contrahere co-gnitionem spiritualem; & ideo debitum licet reddere; & exigere; quia per auctum bonum; & necessarium præjudicari non debet matrimonio ſtant. c. 2. h. t. ubi Alexander III. ad quæſtionem à Salernitano Archiepiscopo propositam: an ſi vir, vel mulier, ſcienter vel ignoranter filium ſuum de facio fonte ſuſcepert, propter hoc separari debeant? Respondit: quod, quan-vis generaliter fit institutum, ut debeant ſeparari; quidam tamen humaniſ ſentientes aliter ſtatuerunt. ideo nobis videtur,

quod ſive ex ignorantia, ſive ex malitia id

fecerint, non ſunt ab invicem separandi,

neceſſor alteri debitum debet subtractu-re;

niſi ad continentiam ſervandam po-

ſuſſit induci: quia ſi ex ignorantia id factum

eft, eos ignorantia excuſare videtur; ſi ex

malitia, eiſ ſua fraud non debet patrocina-

ri vel dolus. Idem etiam habetur in c. *ad*

limina. 30. q. 1. quod etiam procedit, ſi

per ignorantiam baptizet ex cit. c. 2. quam-

vis autem Abbas in cit. c. 2. & gl. in c. *noſſe.*

30. q. 1. velint, quod Pater per malitiam

baptizans propriam prolem (licet non li-

beretur à debiti redditione, ne ſua fraud ei

patrocinetur) exactione tamen debiti pri-

vetur, quod etiam ſequi videtur ex c. *de eo,*

30. q. 1. tamen, cum ſuper hoc caſu nihil

fit diſpoſitum, & ad pœnam ſpectet, ſine

textu id non eſt dicendum; na Zoëſius

n. 9.

Not. 4. eum, qui externæ mulieris, 1111, aut concubine filium baptizat, vel de fa-cro fonte ſuſcepit, cum ea cognitionem spiritualem contrahere, & impedimentum dirimens matrimonium cum ea con-trahendum. c. 1. h. t. in 6. cuius tenorem reculimus ſupr. ſi queras, an parentes filium ſuum *illegitimum* baptizans, vel levans extra necessitate peccet? R. cum Card.

Lig. in Responsis: moral. l. 1. d. 5. n. 4. id prohiberi solis conjugibus, ne quis cognatam suam spiritualē habeat in uxorem. Si autem uxore post partum mortuā, proprium suum filium levaret ex baptismo, licet ageret, quia non levaret filium, dum est cum ejus matre in actuali matrimonio; sic Lugo. cit. n. 5.

1112. Questio est. 9. an idem possit esse Patrius in baptismō, & confirmatione? qz. negatiū, nisi cogat necessitas. C. In Catechismo. 200. dist. 4. de consecr. ibi: in baptismō, & confirmationē unus Patronus fieri potest, si necessitas cogit, non est tamen confuetudo Romana, sed per singulos singuli suscipiunt. Et ita etiam tenet Barboli. in cit. c. 2. Trid. n. 39, qui n. 40. addit., unum non posse in confirmatione tenere ultra duos eadē die, ut habetur in Pontificali; sed contrarium vidi in usu esse.

1113. Questio est. 10. an, & qualiter spiritalis cognatio augatur? qz. quod omnino augatur. 1. reciprocā susceptione librorum; nam si Titius ex baptismō suscipiat filium Caii, & hic filium Titii; duplex compaternitas est. 2. si quis eundem suscepit ex baptismō, & confirmatione; nam cum suscepto duplē Paternitatem directē, cum ejus Parentibus duplē compaternitatem indirectē contrahit. Et ideo unā per Apostolicam dispensationem sublatā, remanet altera; sic Pyrrhus Corradus in praxi diffens. Apol. l. 8 c. 8. n. 16. cōtra P. Pastorale. de Privileg. c. Ex tururum. de author. & usu pall. si tamen unius uni plures liberos levavit, non augeri Paternitatem, vel compaternitatem, ibidem tenet, ex hodierna praxi.

1114. Questio est. 11. que actio propriè requiratur in Patrino, ut inde oriatur in illo

homine cognatio? qz. ut puerum suscipiat de manu baptizantis, vel ipse huic porrigit. Si enim compater de manu commatis, vel hæc de manu illius suscipiet, cognitionem non contraheret; quia non suscipierent ē sacro fonte; ita Sanchez. l. 7. hic d. 56. n. 3. & alii: sufficit autem, si Patrinus, à Parentibus designatus, infans Sacerdoti porrigit, ut aquæ affusione abluit, vel ablutum ab ejus manu statim recipiat, esto eum in actu ablucendi non tangat; sic Corradus cit. n. 8. Q. Pariter, dicens in fine; sic in casu proposito decimus esse à sacra Congreg. 27. Septemb. 1601.

Præterea not. 1. ex invalida collatione baptismi, vel confirmationis, cognitionem spiritualē non contrahit; sic enim deficit ejus principium, regeneratio nimirum spiritualis. Hinc quando in c. fin. h. t. dicitur: pro eo, quod ipsum Pater mulieris ejusdem, qui sacerdos existit, baptizavit; narratur solum factum, non autem constituitur in eo vis contrahendi hanc cognitionem, quod sacerdos fuerit, qui baptizavit.

Not. 2. eti cognatio spiritualis supernotat matrimonio ritè contracto, exinde tamen hoc non solui; cum id in iure nullibi decretum reperiatur; & quamvis aliqui putent, Patrem, qui extra casum necessitatis baptizat, vel levat propriam problem, privari jure petendi debitum; contrarium tamen probabilius est ex n. 1110. & colligitur ex c. 2. b. t. ibi; nec aliter alter debitus debet subtrahere, si vel ex ignorantia, vel malitia fecerint: nam si ex malitia; eis sua fraus non debet patrocinari, vel dolus, ubi gloss. V. debitum subtrahere, non invenimus, ait, prohibitum in hoc casu, quod non exigat; ergo nec nos prohibemus.

Q U A E S T I O N E XII.

In Tit. XII. de Cognitione Legali.

1117. Supponendum, adoptionem in genere, est actum legitimū, quo in locum filii, vel nepotis assumitur, qui naturā talis non est, ut notat Strykius ad l. 1. Inst. Tit. 11. de adoptionibus, & Zoëlius ad l. 1. Inst. Tit. i. 1. n. 1. alia est perfecta, quā per rescriptum Principis persona extranea, quæ sui juris est, transit in potestatē, & familiā adoptantis, sicut aliū

filii legiti, & hæc dicitur arrogatio: altera imperfecta, quæ etiam specifica, & simplex dicitur, quæ est hominis, qui in potestate Patris est, in filium assumptione, Magistratus imperio facta. De variis utriusque adoptionis juris effectibus agunt Legistæ; nos ea solum damus, quæ pertinent ad matrimonia, & nuptias.

ARTI